

Mirabilia Urbis Romae

Der folgende Text der Mirabilia ist mit freundlicher Genehmigung des Herausgebers folgender Ausgabe entnommen: Cesare D'Onofrio: Visitiamo Roma mille anni fa. La città dei Mirabilia. Roma (Romana Società Editrice) 1988. Der vorzüglich bebilderte Band enthält nicht nur die Mirabilia, sondern auch noch andere mittelalterliche Stadtbeschreibungen. Das Buch ist über die Buchhandlung "Studio d'Autore" Libreria di Cesare D'Onofrio, Via S. Ignazio 10, 00186 Roma zu beziehen. Tel. 0039-06-6796434.

Abdruck nur mit Genehmigung des Herausgebers.

Mirabilia Urbis Romae

De muro, portis, miliaribus, nominibus portarum, arcubus, montibus, termis, palatiis et theatris urbis.

1. De muro urbis.

Murus civitatis Rome habet turres CCCLXI, turres castella XLVIII, propugnacula VI. DCCCC. In circuitu vero eius sunt miliaria XXII, excepto Transtiberim et civitas Leoniana.

2. De portis urbis.

Portas habet XII sine Transtiberim, posterulas V. Nomina portarum: porta Capena que vocatur sancti Pauli, iuxta sepulchrum Remi; porta Appia; porta Latina; porta Mitrovi; porta Asinarica Lateranis; porta Lavicana que dicitur Major; porta Taurina, que dicitur sancti Laurentii vel Tiburtina; porta Numentana; porta Salaria; porta Pinciana; porta Flamminea; porta Collina ad castellum Adriani. Quot porte sunt Transtiberim. Porte Transtiberim III: porta Septimiana, septem Naiades iunctae Iano; porta Aurelia vel Aurea; porta Portuensis.

3. De arcubus.

Hii sunt arcus triumphales: arcus aureus Alexandri ad sanctum Celtium; arcus Theodosii et Valentiniani et Gratiani imperatorum ad sanctum Ursum; foris portam Appiam ad templum Martis arcus triumphalis, in circo arcus Titi et Vespasiani; arcus Constantini iuxta amphitheatrum; arcus Septem lucernarum Titi et Vespasiani ad sanctam Mariam Novam, inter Pallanteum et templum Romuli; arcus Iulii Caesaris et senatorum inter edem Concordie et templum Fatale; iuxta sanctum Laurentium in Lucina est arcus triumphalis Octaviani; inde prope arcus qui nunc vocatur Antonini; est arcus ad sanctum Marcum qui vocatur Manus carnea; in Capitello arcus Panis aurei.

4. De montibus.

Hii sunt montes infra urbem: Ianiculus, Aventinus qui et Quirinalis dicitur, Celius mons, Capitolium, Pallanteum, Exquilinus, Viminalis.

5. De thermis.

Therme Antoniane, Domitiane, Maximiane, Licinii, Dioclitiane, Tiberiane, Novatiane, Olimpiadis, Agrippine, Alexandrine.

6. De palatiis.

Palatia: palatium maius in Pallanteo; palatium Severini; palatium Claudii; palatium Constantini; palatium Susurrianum; palatium Volusianum, palatium Romulianum. In Romuliano palatio sunt due edes, Pietatis et Concordie, ubi posuit Romulus statua suam auream, dicens: "Non cadet, donec virgo pariat". Statim ut virgo peperit, illa corrui; palatium Tracianum; palatium Traiani et Adriani, ubi est columna; palatium Constantini; palatium Salustii; palatium Camilli; palatium Antonini ubi

est columna; palatium Neronis, ubi est sepulchrum Iulii Cesaris; palatium Cromatii; palatium Pompei; palatium Titi et Vespasiani foris Romam, Catacumbis; palatium Octaviani.

7. De theatris.

Theatra Titi et Vespasiani ad Catacumbas; theatrum Tarquini et imperatorum ad Septem solium; theatrum Pompeii ad sanctum Laurentium; theatrum Alexandri iuxta sanctam Mariam Rotundam; theatrum Neronis iuxta Castellum Crescentii; et theatrum Flammineum.

8. De locis que inveniuntur in sanctorum passionibus.

Hec sunt loca que inveniuntur in passionibus sanctorum: foris portam Appiam, ubi beatus Xistus decollatus est, et ubi dominus apparuit Petro, Domine quo vadis, templum Martis; intus portam arcus Stille; deinde regio Fasciole ad sanctum Nereum; vicus canarius ad sanctum Georgium, ubi fuit domus Lucilli et est Velum aureum ibi; aqua Salvia ad sanctum Anastasium, ubi decollatus fuit beatus Paulus; ortus Lucine, ubi est ecclesia sancti Pauli et requiescit; inter Lude, id est inter duos ludos, id est clivus Scauri, qui est inter amphitheatrum et stadium, ante Septem solium, ubi est cloaca ubi jactatus fuit sanctus Sebastianus, qui revelavit corpus suum Lucine dicens: "Invenies corpus meum pendens in gumfo"; via Cornelia per pontem Milvium et exit in stratam; via Aurelia iuxta Girolum; gradus Eliogabali in introitu palatii; et insula catenata post sanctam Trinitatem; arcus Stillans ante Septemsolium; arcus Romanus ante Aventinum et Albiston, ubi beatus Silvester et Constantinus osculati sunt et diviserunt se, in Tellure, id est in Canapara, ubi fuit domus Telluris; privata Mamertini, ante Martem, sub Capitolium; vicus Patricii ad sanctam Pudentianam; vicus Laterici ad sanctam Praxedem; basilica Iovis ad sanctum Quiricum; thermas Olimpiadis, ubi assatus fuit beatus Laurentius, in Panisperna; palatium Tiberianum, ubi Decius et Valerianus recesserunt mortuo sancto Laurentio; circus Flammineus, ad pontem Iudeorum; in Transtiberim, templum Ravennatum effundens oleum, ubi est sancta Maria.

9. De pontibus.

Hii sunt pontes: pons Milvius, pons Adrianus, pons Neronianus, pons Antoninus, pons Fabricius, pons Gratianus, pons Senatorum, pons marmoreus Theodosii, et pons Valentinianus.

10. De cimiteriis.

Cimiterium Calepodii ad s. Pancratium; cimiterium s. Agathe ad Girolum; cimiterium Ursi ad Portesan, et cimiterium s. Felicis; cimiterium Calixti iuxta catacumbas; cimiterium Pretestati iuxta portam Appiam, ad s. Apolinarem; cimiterium Cordianum foris portam Latinam; cimiterium inter duos lauros ad s. Helenam; cimiterium Ursum pilleatum ad s. Vivianam; cimiterium in agrum Veranum ad s. Laurentium; cimiterium s. Agnetis; cimiterium Fontis s. Petri; cimiterium Priscille ad Salarium, et cimiterium Cucumeris; cimiterium Trasonis ad s. Saturninum; et cimiterium sancte Felicitatis iuxta cimiterium Calixti; cimiterium Pontianum; cimiterium sancti Hermetis et Domitille; cimiterium s. Ciriaci via Hostiensi.

11. De iussione Octaviani imperatoris et responsione Sibille.

Tempore Octaviani imperatoris, senatores videntes eum tante pulchritudinis quod nemo in oculos eius intueri poterat et tante prosperitatis et pacis quod totum mundum sibi tributarium fecerat, dicunt: "Te adorare volumus quia deitas est in te; si hoc non esset, non tibi omnia essent prospera". Qui renitens, indutias postulavit, ad se sibillam Tiburtinam vocavit, cui quod senatores dixerant recitavit. Que spatium trium dierum petiit, in quibus artum jejunium operata est. Post tertium diem respondit imperatori: "Hoc pro certo erit, domine imperator: Iudicii signum, tellus sudore madescet; e celo rex adveniet per secula futurus, scilicet in carne presens, ut iudicet orbem" et cetera que secuntur. Ilico apertum est celum et nimius splendor irruit super eum; vidit in celo quandam pulcherrimam virginem stantem super altare, puerum tenentem in brachiis. Miratus est nimis et vocem dicentem audivit: "Hec ara filii Dei est". Qui statim in terram procidens adoravit. Quam visionem retulit senatoribus et ipsi mirati sunt nimis. Hec visio fuit in camera Octaviani imperatoris, ubi nunc est ecclesia sancte Marie in Capitolio; idcirco dicta est Sancta Maria Ara celi.

12. Quare facti sunt caballi marmorei.

Caballi marmorei ad quid facti fuerunt nudi et quid numerent et quid sit quod ante caballos quedam femina circumdata sedet serpentibus, habens concam ante se. Temporibus Tiberii imperatoris venerunt Romam duo philosophi iuvenes, Praxitelis et Fidia. Quos imperator cognoscens tante sapientie, caros in palatio suo habuit. Qui dixerunt ei se esse tante sapientie ut quicquid imperator eis absentibus in die vel in nocte consiliaretur, ei usque ad unum verbum dicerent. Dixerunt itaque ei: "Domine imperator, quicquid nobis absentibus in die vel in nocte in camera tua dixeris, dicemus tibi usque ad unum verbum". Quibus imperator ait: "Si facitis quod dixistis, dabo vobis quicquid vultis". Qui respondentes dixerunt: "Nullam pecuniam, sed nostrorum memoriam postulamus". Veniente altero die per ordinem retulerunt imperatori quicquid preterita nocte consiliatus est. Unde fecit eis promissam prelibatam memoriam eorum, sicut postulaverunt, equos nudos videlicet qui calcant terram, id est potentes principes huius seculi qui dominantur homines huius mundi. Veniet rex potentissimus qui ascendet super equos, id est super potentiam principum huius seculi. In hoc seminudi qui stant iuxta equos et altis brachiis et replicatis digitis numerant ea que futura erant, et sicut ipsi sunt nudi, ita omnis mundialis sciencia nuda et aperta est mentibus eorum. Femina circumdata serpentibus sedens, habens concam ante se, significat ecclesiam et predicatores qui predicabunt eam, ut quicumque ad eam ire voluerit, non poterit nisi prius lavetur in conca illa.

13. De nominibus iudicum et eorum instructionibus.

Primicerius, id est prima manus: chera enim grece, latine manus dicitur. Primicerius apud Grecos Papia vocatur. Ipse debet habere curam de clavibus totius palatii et esse ibi honorabilis apud imperatorem; die noctuque in palatio existere debet. Secundicerius, id est secunda manus. Apud Grecos vocatur deptereu; in palatio honorabilis est, et ibi esse debet die et noctu, corone et omnium vestimentorum que per festivitates induuntur ipse debet habere curam. Nomenclator latine, apud Grecos questor dicitur. Ipse debet habere curam de viduis et orphanis et omnibus xenodochiis, et apud eum debet disputari de testamentis. Primus defensor latine, apud Grecos prohedicos vocatur. Debet habere homines sub se, qui defendant sedem imperi. Archarius, qui ab archano dicitur debet scire secreta consilia imperatoris et colligere censum. Saccellarius debet habere curam monasteriorum ancillarum Dei et in festivitibus debet introducere ante imperatorem. Protoscriniarius, id est primus scriniariorum. Bibliothecarius, apud Grecos logothenos. Referendarius, ipse debet renunciare omnem scriptionem ad imperatorem.

14. De columpna Antonini et Traiani.

Columpna Antonini coclidis habet in altum pedes CLXXV, gradus numero CCIII, fenestras XLV. Columpna Traiani coclidis habet in altum pedes CXXXVIII, gradus numero CLXXXV, fenestras XLV. Coliseum amphitheatrum habet in altum pedes submissales CVIII.

15. Quare factus sit equus qui dicitur Constantinus.

Lateranis est quidam caballus hereus qui dicitur Constantini, sed non ita est; quia quicumque voluerit veritatem cognoscere hoc perlegat. Tempore consulum et senatorum, quidam rex potentissimus de Orientis partibus Italiam venit; ex parte Lateranis Romam obsedit; multa strage et bellis populum Romanum afflixit. Tunc quidam armiger magne forme et virtutis, audax et prudens surrexit, qui dixit consulibus et senatoribus: "Si esset qui liberaret vos de hac tribulatione, quid a senatu promeretur?". Qui respondentes dixerunt ei: "Quicquid ipse poposcerit mox obtinebit". Qui ait eis: "Date michi XXX milia sextertias et memoriam victoriae michi facietis post peractum bellum, et optimum equum". Qui promiserunt se facturos quicquid ipse petierat. Qui ait: "Media nocte surgite et omnes armamini et state iuxta muros in specula, et quicquid vobis dixero facietis". Et illi continuo fecerunt imperata. Qui ascendit equum sine sella et tulit falcem. Per plurimas enim noctes viderat illum regem ad pedem cuiusdam arboris pro necessario venire; in cuius adventu cocovaia que in arbore sedebat semper cantabat. Ille vero exivit urbem et fecit herbam quam in fascem religatam portabat ante se, more scutiferi. Qui statim ut audivit cocovaiam cantantem accessit propius, cognovit illum regem venisse ad arborem. Ivit ergo contra eum, qui iam peregerat necessaria. Socii qui erant cum rege putabant illum esse suorum; ceperunt clamare ut ipse auferret

se de via ante regem. Sed ille non dimittens propter eos, fingens se de loco abire, iunxit se regi, et pre fortitudine sua illis omnibus spretis vi arripuit regem et portavit eum. Mox cum venisset ad muros civitatis cepit clamare: "Exite foras et interficite omnem exercitum regis quia ecce ipsum teneo captivum". Qui exeuntes alios interfecerunt, alios in fugam miserunt; unde Romani innumerabile pondus auri et argenti habuerunt. Sic gloriosi ad urbem redierunt, et quod predicto armigero promiserant persolverunt, XXX scilicet milia sextertias et equum hereum pro memoria deauratum et sine sella, ipso desuper residente, extenta manu qua ceperat regem; in capite equi, memoriam cocovaie ad cantum cuius victoriam fecerat. Ipsum quoque regem, qui parve persone fuerat, retro ligatis manibus, sicuti eum ceperat, sub ungula memorialiter destinavit.

16. Quare factum sit Pantheon et postmodum oratio Bonifacii.

Temporibus consulum et senatorum, Agrippa prefectus subiugavit Romano senatui Suevios, Saxones, et alios occidentales populos, cum quatuor legionibus, in cuius reversione tintinnabulum statue Perside, que erat in Capitolio, in templo Iovis et Monete (sonuit). Uniuscuiusque regni totius orbis erat statua in Capitolio, cum tintinnabulo ad collum; statim ut sonabat tintinnabulum, cognoscebant illud regnum esse rebelle. Cuius tintinnabulum audiens sacerdos qui erat in speculo in ebdomada sua, nuntiavit senatoribus. Senatores autem hanc legationem prefecto Agrippe imposuerunt. Qui rennuens non posse pati tantum negotium, tandem convictus petiit consilium trium dierum; in quo termino quadam nocte ex nimio cogitatu obdormivit. Apparuit ei quedam femina, que ait: "Agrippa, quid agis? in magno cogitatu es", qui respondit ei: "Sum, domina". Que dixit: "Confortare et promitte michi te templum facturum quale tibi ostendo, ei dico tibi si eris victurus". Qui ait: "Faciam, domina". Que in illa visione ostendit ei templum in hunc modum. Qui dixit: "Domina, que es tu?". Que ait: "Ego sum Cibeles, mater deorum. Fer libamina Neptuno qui est magnus deus, ut te adiuvet. Hoc templum fac dedicari ad honorem meum et Neptuni, quia tecum erimus et vinces". Agrippa vero surgens letus hoc recitavit in senatu. Cum magno apparatu navium, cum quinque legionibus, ivit et vicit omnes Persas et posuit eos annualiter sub tributo Romani senatus. Rediens Romam fecit hoc templum et dedicari fecit ad honorem Cibeles matris deorum et Neptuni dei marini et omnium demoniorum et posuit huic templo nomen Pantheon. Ad honorem cuius Cibeles fecit statua deauratam, quam posuit in fastigio templi super foramen et cooperuit eam mirifico tegmine ereo deaurato. Venit Bonifatius papa tempore Foce imperatoris christiani. Videns illud templum ita mirabile dedicatum ad honorem Cibeles matris deorum, ante quod multotiens a demonibus Christiani percutiebantur, rogavit papa imperatorem ut condonaret ei hoc templum; ut sicut in kalendis novembris dedicatum fuit ad honorem Cibeles matris deorum, sic illud dedicaret in kalendis novembris ad honorem beate Marie semper virginis que est mater omnium sanctorum. Quod Cesar ei concessit, et papa cum omni Romano populo in die kalendis novembris dedicavit; et statuit ut in isto die Romanus pontifex ibi celebraret missam et populus accipiat corpus et sanguinem Domini, sicut in die Natalis Domini; et in isto die omnes sancti cum matre sua Maria semper virgine et celestibus spiritibus habeant festivitatem et defuncti habeant per ecclesias totius mundi sacrificium pro redemptione animarum suarum.

17. Quare Octavianus vocatus sit Augustus et quare dicatur ecclesia sancti Petri ad vincula.

Interfecto Iulio Cesare a senatu, Octavianus eius nepos sumpsit imperium. Contra quem Antonius eius cognatus, cuius baiulus post mortem Cesaris remanserat, nitebatur multo certamine ei auferre imperium; et repudiata Octaviani sorore duxit in uxorem Cleopatram reginam Egipti potentissimam in auro et argento et lapidibus pretiosis et populo. Cumque Antonius et Cleopatra cum magno apparatu navium et populi contra Romam venire cepissent, hoc Rome auditum est. Octavianus vero cum ingenti apparatu ivit et aggressus est eos ad Epirum et sic orta est pugna. Navis regine que tota deaurata erat cepit declinare. Antonius videns navem regine declinare declinavit. Quam insecutus est usque Alexandriam. Qui irruit in ferrum et mortuus est. Cleopatra autem, videns se conservatam pro triumpho, ornata auro et lapidibus pretiosis voluit sua pulchritudine Octavianum decipere, sed non potuit. Videns se ita despectam, ita ornata intravit mausoleum viri sui et posuit ad mammillas duas ptisanas, quod est genus serpentis et ita suaviter suxerunt quod obdormivit et mortua est. Octavianus inde tulit infinitam pecuniam ex illa victoria et triumphavit Alexandriam et Egiptum et

totam regionis Orientis, et ita victoriosus reversus est Romam. Et susceperunt eum senatores et omnis populus Romanus cum magno triumpho. Et quia victoria ista fuit in sextilibus kalendis, posuerunt ei nomen Augusti ab augendo rem publicam, et statuerunt ut omni anno in kalendis Augusti tota civitas habeat festivitatem letitie illius prelibate victorie, ad honorem Octaviani Cesaris Augusti, et tota urbs floreat et gaudeat in tanta festivitate. Hic ritus pervenit usque ad tempus Archadii viri Eudoxie. Mortuo eius marito, remansit cum filio suo Theodosio parvulo; qui viriliter regebat (imperium) ac si eius vir Archadius viveret. Inspirata divino nutu et negotio rei publice ivit Ierosolimam, sepulchrum Dei et alia sanctuaria visitavit. Inter multa negotia rei publice comprovinciales detulerunt ei ingentia munera, inter que quidam Iudeus attulit ei catenas beati Petri apostoli, quibus ligatus fuit ab Herode in carcere sub quatuor quaternionibus. Quas ut vidit regina nimium letata est super omnia alia munera; cogitavit eas catenas non alibi poni in condigno loco nisi ubi corpus beati Petri requiescit in pulvere. Veniens autem Romam in kalendis augusti, vidit illum antiquissimum ritum paganitatis a populo Romano tam celeberrime fieri in sextilibus kalendis, quem nullus pontificum remove potuit. Aggressa est papam Pelagium et senatores et populum, quatinus hoc munus quod petere vellet ei concederetur. Cui diligenter condonare promiserunt. Regina vero dixit: "Video vos tam sollicitos in sextiles festivitates in honorem imperatoris mortui Octaviani, pro victoria quam fecit de Egiptiis; rogo vos ut michi donetis honorem imperatoris mortui Octaviani ad honorem imperatoris celestis et apostoli eius Petri, cuius catenas a Ierosolimis adduxi. Et sicut ille liberavit nos ab Egiptiaca servitute, ita iste imperator liberet nos a servitute demonum. Et volo facere ecclesiam ad honorem Dei et beati Petri, ibique ponere catenas, quam ecclesiam dominus apostolicus dedicet in kalendis augusti et vocetur Sanctus Petrus ad vincula ubi dominus apostolicus annualiter in hac ecclesia missarum solempnia celebret. Et sicut beatus Petrus ab angelo solutus fuit, ita Romanus populus a peccato cum benedictione liberatus recedat". Quod populus audiens gravissime suscepit; tandem rogatu pape et regine concessit. Que fabricavit ecclesiam, quam dominus papa dedicavit in kalendis augusti, sicut Eudoxia christianissima imperatrix proposuerat, ubi posuit catenas beati Petri et catenas beati Pauli Neronianas, ut ibi populus Romanus in hoc die kalendarum sextilium confluat et salutet catenas apostolorum Petri et Pauli.

18. (De Vaticano et agulio).

Infra palatium Neronianum est templum Apollinis, quod dicitur Sancta Petronilla, ante quod est basilica que vocatur Vaticanum, ex mirifico musibo laqueata, auro et vitro. Ideo dicitur Vaticanum quia vates, id est sacerdotes, canebant ibi sua officia ante templum Apollinis. Et iccirco tota illa pars ecclesie sancti Petri Vaticanum vocatur. Ibi est aliud templum quod fuit vestarium Neronis, quod nunc vocatur sanctus Andreas. Iuxta quod est memoria Cesaris, id est agulia, ubi splendide cinis eius in suo sarcophago requiescit: ut sicut eo vivente totus mundus ei subiectus fuit, ita eo mortuo usque in finem seculi subicietur. Cuius memoria inferius ornata fuit tabulis ereis et deauratis, litteris latinis decenter depicta. Superius vero ad malum, ubi requiescit, auro et preciosis lapidibus decoratur, ubi scriptum est: Cesar tantus eras quantus et orbis sed nunc in modico clauderis antro et hec memoria sacrata fuit suo more, sicut adhuc apparet et legitur.

19. (De cantaro Sancti Petri).

In paradiso sancti Petri est cantarum quod fecit Simacus papa columnis porphireticis ornatumque tabulis marmoreis cum griphonibus connexe, precioso celo ereo cooperte, cum floribus et delfinis ereis et deauratis, aquas fundentibus. In medio cantari est pinea erea que fuit coopertorium cum sinino ereo et deaurato super statuam Cibeles matris deorum, in foramine Pantheon. In quam pineam subterranea fistula subministrabat aquam ex forma Sabbatina, que toto tempore plena prebebat aquam per foramina nucum omnibus indigentibus ea et per subterraneam fistulam quedam pars fluebat ad balneum imperatoris iuxta aguleam.

20. (De meta et de tiburtino Neronis).

In Naumachia est sepulchrum Romuli, quod vocatur Meta, que fuit de miro lapide tabulata, ex quibus factum est pavementum paradisi et graduum sancti Petri. Habuit circa se plateam tiburtinam XX

pedum cum cloaca et florali suo. Circa se habuit tiburtinum Neronis tante altitudinis quantum castellum Adriani, miro lapide tabulatam, ex quibus opus graduum et paradisi peractum fuit. Quod edificium rotundum fuit duobus gironibus sicut castrum, quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis, iuxta quod fuit crucifixus beatus Petrus apostolus.

21. (De Castello Adriani) .

Est et castellum quod fuit templum Adriani, sicut legimus in sermone festivitatis sancti Petri, ubi dicit: "Memoria Adriani imperatoris mire magnitudinis templum constructum", quod totum lapidibus coopertum et diversis ystoriis est perornatum. In circuitu vero cancellis ereis circumseptum cum pavonibus aureis et tauro; ex quibus fuere duo qui sunt in cantaro paradisi. In IIIor partes templi fuere IIIor caballi erei deaurati; in unaquaque fronte porte eree. In medio giro sepulchrum Adriani porfireticum, quod nunc est Lateranis ante fulloniam; coopertorium est in paradiso sancti Petri super sepulchrum prefecti. Inferius autem porte eree, sicut nunc apparent. Hec monumenta que diximus omnia pro templis dedicata erant ad que confluebant Romane virgines cum votis sicut dicit Ovidius in libro Faustorum.

22. (De Augusto).

Ad portam Flammineam fecit Octavianus quoddam castellum quod vocatur Augustum, ubi sepelirentur imperatores, quod tabulatum fuit diversis lapidibus. Intus in girum est concavum per occultas vias. In inferiori giro sunt sepulture imperatorum. In unaquaque sepultura sunt littere ita dicentes: "Hec sunt ossa et cinis Nerve imperatoris et victoria quam fecit". Ante quos stabat statua dei sui, sicut in aliis omnibus sepulcris. In medio sepulcrorum est absida ubi sepe sedebat Octavianus, ibique erant sacerdotes facientes sua cerimonia. De omnibus regnis totius orbis iussit venire unum cirothecam plenum de terra, quam posuit super templum, ut esset in memoriam omnibus gentibus Romam venientibus.

23. (De diversis locis).

In fastigio Pantheon frontis stabant duo tauri erei et deaurati. Ante palatium Alexandri fuere duo templa, Flore et Phebi. Post palatium, ubi nunc est conca, fuit templum Bellone; ibi fuit scriptum: "Roma vetusta fui, sed nunc nova Roma vocabor, eruta ruderibus culmen ad alta fero". Ad concam Parrionis fuit templum Gnei Pompeii, mire magnitudinis et pulchritudinis. Monumentum vero illius quod dicitur Maiorentum, decenter ornatum, fuit oraculum Apollinis. Alia fuere, alia oracula. Ecclesia sancti Ursi fuit secretarium Neronis. In palatio Antonini, templum divi Antonini. Iuxta sanctum Salvatorem ante sanctam Mariam in Aquiro, templum Elii Adriani et arcus Pietatis. In campo Martio, templum Martis, ubi eligebantur consules in kalendas iulias et morabantur usque in kalendas ianuarias; si purus erat ille qui electus erat consul a crimine, confirmabatur ei consulatus. In hoc templo Romani victores ponebant rostra navium ex quibus efficiebantur opera ad spectaculum omnium gentium. Iuxta Pantheon, templum Minerve Calcidie. Post sanctum Marcum, templum Apollinis. In Camilliano, ubi est sanctus Cyriacus, fuit templum Veste. In Calcarari, templum Veneris. In monasterio domne Rose, castellum Aureum, quod fuit oraculum lunonis.

24. (De Capitolio).

Capitolium, quod erat caput mundi, ubi consules et senatores morabantur ad gubernandum orbem, cuius facies cooperta erat muris altis et firmis, diu super fastigium montis vitro et auro undique coopertis et miris operibus laqueatis. Infra arcem palatium fuit miris operibus, auro et argento et ere et lapidibus pretiosis perornatum, ut esset speculum omnibus gentibus. Templa quoque infra arcem fuere; que ad memoriam ducere possum, sunt hec: in summitate arcis, super porticum Crinorum, fuit templum Iovis et Monete, sicut repperitur in marthiologio Ovidii de Faustis; in partem fori, templum Veste et Cesaris; ibi fuit cathedra pontificum paganorum, ubi senatores posuerunt Iulium Cesarem, sexta die infra mensem martium; ex alia parte Capitolii, super Cannaparam, templum Iunonis; iuxta forum publicum, templum Herculis; in Tarpeio, templum Asilis, ubi interfectus fuit Iulius Cesar a senatu; in loco ubi est nunc Sancta Maria, fuere duo templa simul iuncta, cum palatio, Phebi et Carmentis, ubi Octavianus vidit visionem in celo; iuxta Camellariam, templum Iani, qui

erat custos Capitolii. Ideo dicebatur aureum Capitolium quia pre omnibus regnis totius orbis pollebat sapientia et decore. Palatium Traiani et Adriani pene totum lapidibus constructum et miris operibus perornatum, diversis coloribus laqueatum, ubi est columna mire altitudinis et pulchritudinis cum celaturis historiarum horum imperatorum, sicut columna Antonini in palatio suo. Ex una parte fuit templum divi Traiani, ex alia divi Adriani.

In clivo Argentarii, templum Concordie et Saturni. In insula, templum Bachi. In fine huius insule Argentarie, templum Vespasiani. In clivo Sancte Marie in Campo, templum Titi. Ubi est sanctus Basilius, templum Carmentis. Infra hunc terrinum fuit palatium cum duobus foris, Nerve cum templo suo divi Nerve, cum maiori foro Traiani, ante fores cuius templum Sospite dee. Ubi est sanctus Quiricus, templum Iovis. In muro sancti Basilii fuit magna tabula erea infixata, ubi fuit amicitia scripta in loco bono et notabili, que fuit inter Romanos et Iudeos tempore Iude Machabei.

25. (De diversis locis).

Ante privatam Mamertini, templum Martis, ubi nunc iacet simulacrum eius. Iuxta eum templum Fatale, id est Sancta Martina; iuxta quod est templum Refugii, id est Sanctus Adrianus; prope, aliud templum Fatale. Iuxta privatam publicam, templum Fabiorum. Post sanctum Sergium, templum Concordie, ante quod arcus triumphalis unde erat ascensus in Capitolium. Iuxta erarium publicum quod erat templum Saturni, ex alia parte fuit arcus miris lapidibus tabulatus, in quo fuit historia qualiter milites accipiebant a senatu donativa sua per saccellarium qui administrabat hoc; que omnia pensabat in statera antequam darentur militibus, ideo vocatur Salvator de Statera.

In Cannapara, templum Cereris et Telluris cuius atrium duabus domibus ornatur per circuitum porticibus columpnatis, ut quicumque ibi sederet ad iudicium, undique videretur. Iuxta eam domum fuit palatium Cateline, ubi fuit ecclesia sancti Antonii; iuxta quam est iocus qui dicitur Infernus, eo quod antiquo tempore ibi eructuabat et magnam pernitiem Rome inferebat; ubi quidam nobilis miles, ut liberaretur civitas, responso suorum deorum armatus proiecit se, et clausa est terra, sic civitas liberata est. Ibi est templum Veste, ubi dicitur inferius draco cubare, sicut legimus in vita beati Silvestri. Est ibi templum Palladis et forum Cesaris et templum Iani, qui previdet annum in principio et fine, sicut dicit Ovidius in Fastis; nunc autem dicitur turris Centii Fraiapanis. Templum Minerve cum arcu coniunctum est ei, nunc autem vocatur Sanctus Laurentius de Mirandi. Iuxta eum sancti Cosmatis ecclesia, que fuit templum Asili. Retro fuit templum Pacis et Latone; super idem, templum Romuli. Post Sanctam Mariam novam, duo templa Concordie et Pietatis. Iuxta arcum Septem lucernarum, templum Escolapii. Ideo dicitur Cartularium quia ibi fuit bibliotheca publica, de quibus XXVIII fuere in urbe. Superius fuit templum Palladis et templum Iunonis.

26. (De regione Colosei) .

Infra Palatium est templum Iuliani. In fronte Palatii, templum Solis. In eodem Palatio, templum Iovis quod vocatur Casa Maior. Ubi est Sanctus Cesarius fuit auguratorium Cesaris. Ante Coloseum, templum Solis, ubi flebant cerimonie simulacro quod stabat in fastigio Colosei. Septisolium fuit templum Solis et Lune, ante quod fuit templum Fortune. Sancta Balbina fuit mutatorium Cesaris; ibi fuere therme Severiane et Commodiane. Ubi est Sanctus Saba fuit area Apollinis et Splenis.

27. (De Circo Maximo) .

Circus Prisci Tarquini fuit mire pulchritudinis, qui ita erat gradatus quod nemo Romanus offendebat alterum in visu ludi. In summitate erant arcus per circuitum vitro et fulvo auro laqueati. Superius erat domus Palatii in circuitu, ubi sedebant femine ad videndum ludum, XIII kalendas madii quando fiebat ludus. In medio erant due agulie: minor habebat octoginta septem pedes semis, maior CXX duos. In summitate triumphalis arcus qui est in capite, stabat quidam eques ereus et deauratus qui videbatur facere impetum, ac si miles vellet currere equum. In alio arcu qui est in fine stabat alius eques ereus et deauratus similiter. In altitudine Palatii erat sedes imperatoris et regine, unde videbant ludum.

28. (De Celio monte).

In Celio monte, templum Scipionis. Ante thermas Maximianas, ubi fuere due conce et duo templa Hisidis et Serapis. In Orphonotrophio, templum Apollinis. In palatio Lateranis sunt quedam miranda sed non scribenda. In palatio Susurriano fuit templum Herculis.

29. (De Exquilino monte).

In Exquilino monte fuit templum Marii, quod nunc vocatur Cimbrum, eo quod vicit Cimbros. In palatio Licinii, templum Honoris et Diane. Ubi est Sancta Maria maior fuit templum Cybeles. Ubi est Sanctus Petrus ad vincula fuit templum Veneris. Ad sanctam Mariam in Fontana, templum Fauni; quod simulacrum locutum est Iuliano et decepit eum. In palatio Dioclitiani quatuor templa fuere, Asclepii et Saturni, Martis et Apollinis, que vocantur modii. In capite Trivii, fuit templum Veneris, ubi hactenus dicitur ortus Veneris. In palatio Tiberii, templum deorum. In cilio montis fuit templum Iovis et Diane, quod nunc vocatur (Mensa) imperatoris, super palatium Constantini. Ibi in palatio fuit templum Saturni et Bachi, ubi nunc iacent simulacra eorum. Ibi iuxta sunt caballi marmorei. In thermis Olimpiadis, ubi fuit assatus beatus Laurentius, fuit templum Apollinis. Ante palatium Traiani, ubi fores palatii nunc permanent, fuit templum.

30. (De diversis templis) .

In Aventino templum Mercurii aspiciens in circo et templum Palladis et fons Mercurii, ubi mercatores accipiebant responsa. Ad arcum Stadii, domus Aurelie Orestille; ex una parte templum Mecenatis, ex alia parte templum Iovis. Iuxta Scolam grecam fuit palatium Lentuli. Ex alia parte, ubi nunc est turris Centii de Orrigo, fuit templum Bachi. Ad Gradellas fuit templum Solis. Sanctus Stephanus rotundus fuit templum Fauni. In Alephanto, templum Sibille, et templum Ciceronis in Tulliano, et templum Iovis, ubi fuit pergula aurea, et templum Severianum ubi est sanctus Angelus. Ad Velum Aureum, templum Minerve. In ponte Iudeorum, templum Fauni. Ad Caccavari, templum Craticule. Ad pontem Antoninum, circus Antonii, ubi nunc est Sancta Maria in Cataneo. Ad Sanctum Stephanum in Piscina, palatium Cromatii prefecti, templum quod dicebatur olovitreum, totum factum ex crystallo et auro per artem mathematicam, ubi erat astronomia cum omnibus signis celi; quod destruxit sanctus Sebastianus cum Tiburtio filio Cromatii.

31. Quot sunt templa Trans Tiberim.

Trans Tiberim, ubi nunc est Sancta Maria, fuit templum Ravennatum, ubi terra manavit oleum tempore Octaviani, et fuit ibi domus meritoria, ubi merebantur milites qui gratis serviebant in senatu. Sub laniculo templum Gorgonis. Ad ripam fluminis, ubi naves morantur, templum Herculis. In Piscina, templum Fortune et Diane. In insula Licaonia, templum Iovis et templum Esculapii. Foris portam Appiam, templum Martis et triumphalis arcus.

32. Hec et alia multa templa et palatia imperatorum, consulum, senatorum prefectorumque tempore paganorum in hac Romama urbe fuere, sicut in priscis annalibus legimus et oculis nostris vidimus et ab antiquis audivimus. Quante etiam essent pulchritudinis, auri et argenti, heris et eboris pretiosorumque lapidum, scriptis ad posterorum memoriam quanto melius potuimus reducere curavimus.